Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26179
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sum et humilis corde. Et cum est perseuerantia in opere. Has septem lauationes Christus spiritualiter habuit. Lauatur extra
corpus quia diues in suis. Pauper factus est in matris. Non habens ubi caput reclinaret. Lauatur circa corpus. Quia panniculis
obsitus in presepio. Lauatur in corpore. Quia xl. diebus ieiunauit. Lauatur in lingua non offendit per prospera. Quia dum uel
lent eum regem sibi constituere. noluit. Non offendit in aduersis. Quia sicut ouis coram tondente se obmutuit. et
non aperuit os suum. Lauationem in corde habuit. quia uoluit non facere uoluntatem suam. sed patris. qui misit eum. ce
consilium diuinum. consilio petri preposuit. dicentis. Absit a te Domine. Qui ait. Vade retro me Sathanas. quia
nescis ea que dei sunt. Vel quia subditus erat ioseph et Marie. et ceteris parentibus. et facta est caro eius. sicut caro
pueri iuniores. ad similitudinem Christi. qui puer natus est nobis. et perditam innocentiam restituit.

Cantate domino canticum nouum; Ad clericos. vel monachos sermo. lxi

Vrum est diligere et ad uos pertinet nouum canticum cantare. Est enim uetus canticum. Est et nouum. Vetus canticum
fuit. diligere amicum tuum et odio habebis inimicum tuum. Nouum canticum est diligite inimicos uestros. benefacite
his qui uos oderunt. Vetus canticum fuit. dentem pro dente. oculum pro oculo. Nouum canticum est. si quis percusserit te in unam
maxillam prebe ei et aliam. Vetus canticum fuit. comedamus et bibamus. cras enim moriemur. Ne grauentur corpora uestra in
crapula et ebrietate. Vetus canticum est. Si socrates est margarita. socrates est lapis. Nouum canticum est et noua consequentia. Si
deus pro nobis. quis contra nos. Et si conplantati facti sumus similitudini mortis eius. similes resurrectionis erimus.
Vt ergo nouum cantemus canticum. recedant uetera. de ore nostro. fiunt aliquando uetera. et uetera in nobis fuerunt
quando ille manifestus transgressor et antiquus preuaricator in nobis fuit. et ut modo non sit. per omnia membra nostra dif
fusus. fuit utique uetus homo noster in manibus nostris. in ore. in corde. in manibus duobus modis. per facinora per flagi
cia. sed et eum quedam peccata. que dicuntur flagitia. que in nobis committimus. nobisque sunt nociua. quedam dicuntur facinora
que in proximos committimus. et proximis nocent. in ore autem fuit per detractionem. et arrogantiam. in corde uero per ape
titum. carnis per desiderium in anis glorie. Nec autem si quis in Christo noua creatura. uetera transierunt ei. et omnia facta sunt noua.
Sic autem innouatur in Christo. contra facinora confertur nobis innocentia. contra flagitia continentia. contra arrogantiam uerbum confes
sionis. contra detractionem uerbum edificationis. contra appetitum carnis caritas. contra desiderium temporalis glorie humili
tas. Vt ergo sic innouemur ueniat nouus homo. Christus ueniat. Ille magnus propheta. qui ciuitatem ierusalem auream foue
at. et omnia innouat. et sic nouus homo totum occupauit. totum redemit. sanguine suo totum glorificabit. quia totum
hominem sanum fecit in sabbato. Ita ergo innouati et uetibus de manibus ore et corde repulsis. cantemus domino cantatum
nouum. ne ueteri populo similes inueniamur. qui de egypto carnis egressus sed mente regressus. manna. id est angelico.
cibo pastus deo tamen extitit ingratus ideoque morsibus serpentium expositus. diuersis plagis et tribulationibus afflic
tus. gladio hostium prostratus. ad tam breuem numerum est redactus. ubi de sexcentis milibus qui egressi sunt de egyp
to. uix duo intrarent in terram promissionis. Ita et nos de egypto educti. corpore et sanguine domini refecti. si
deo ingrati extiterimus. et nouum canticum non cantauerimus. morsibus serpentium. id est suggestionibus exponemur. et pla
gis. et molestiis corporis afficiemur. et sic gladiis hostium succumbentes. id est demonum impugnationibus
ad terram uiuentium nequaquam pertingere poterimus. Ne ergo cum eis simili pena plectamur. non moremur in deserto.
sed egrediamur desertum. et illas tres mansiones in quibus illi mansisse referuntur exeamus. tres. Fuerunt mansio
nes exterior. interior. superior. in exteriori morantur. qui secularibus negociis et honoribus implicantur. Interiori qui de
sideriis carnis obsecuntur. in superiori qui de peccatis propriis glorantur. De prima dictum est ad abraham. Egredere de
terra tua. et de cognatione. secunda exi de cognatione tua. de tercia. exi de domo patris tui. et ueni in terram quam
monstrauero tibi. lacte manantem. Nos quoque in illas tres mansiones exierimus. ad terram promissionis non perue

Nouum uero est

Ad clericos et ad monachos.